

vice qualibet contrafacta, et habeant medietatem condempnationum factarum ex dictis acusis. ¶ Et etiam teneantur inquirere de leprosis sive malosus forensibus et ipsos expellere extra civitatem Tergesti, sub pena quadraginta sold. par. pro quolibet precone.

5

Cap. XLIII. De electione sindicorum et eorum officio. Et sacramento.

Ordinamus quod in electione sindicorum et consiliariorum ipsorum procedatur in hunc modum: videlicet quod in prima die sequentis regiminis, scilicet die qua novus potestas applicuerit suo regimini et iuraverit, sub pena quinquaginta libr. par. pro potestate et vigintiquinque pro quolibet iudice sive rectore, et non ante, congregetur maius consilium, in quo vero consilio dentur sex brevia pro sex syndicis eligendis et novem brevia pro novem consiliariis sindicorum etiam eligendis, et quicumque habuerit unum ex brevibus predictis eligere debeat suum syndicum vel consiliarium, prout in dicta breve scriptum fuerit, sacramento meliorem quem crediderit de dicto maiori consilio, qui vero dicti syndici et consiliarii sint et esse debeant etatis triginta annorum vel ultra. ¶ Qui syndici sic electi balotentur ad piscides cum balotis singuli, videlicet unus contra alium, et ultimi duo ex ipsis qui optinebunt per maiorem partem maioris consilii sint firmi¹⁾ syndici. ¶ Et ipsis etiam consiliariis sic electis balotentur in dicto consilio scilicet unus contra alium, et ultimi tres qui optinebunt per maiorem partem dicti maioris consilii sint // firmi consiliarii. ¶ Et quod aliquis qui habuerit vel haberet salarium de camera comunis per medium annum tempore potestarie predictae, non possit esse syndicus vel consiliarius sindicorum, nec interesse in dicto consilio in quo fiunt dicti syndici et consiliarii, exceptis iudicibus comunis Tergesti, causa ponendi partitos, nec in eodem officio esse possint pater cum filio, frater cum fratre, germanus cum germano, nepotes cum

¹⁾ *firmi-sint* aggiunta marginale.